

QK 291

v. Creutzgen

Za
5840

X 2046938



I V V E N I B V S

GENERIS SPLEN-
DOR E NOBILISSIMIS, IN-
GENII, DOCTRINAE ET VIR-
tutis laude, linguarumq; usu ornatissimis
Dn, V Volfgango & Dn, Ioanni

Fratribus,

MAGNIFICI GENE-
ROSI ET STRENI VIRI DN. Hil-
debrandi à GEVTZEN, vt sapientiæ prudentia
suadelaq; habitu, ita & Togæ Martisq; studio præstan-
tissimi, ideoq; apud serenissimum Potentissimumque
Poloniæ & Sueciæ REGEM summi Militiæ præfecti
atque Consilarii Borossia Prouincialis Celeberrimi,
Dn. in Teutscheulaw & Hachewalda / FILIIS
optissimis & pro tempore in Academia
Lipsiensi, Musis strenuè operam
nauantibus.

ΜΥΔΟΛΟΓΙΑΝ

DE SIRENV M CANTV

dedicat

M. Iohannes Richter

P. Coronatus.

L I P S I Æ,

Typis hæredum B E Y E R I,

Anno M. DC. III.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICIA WIANA





Ellerophonteis omni feliciter æuo
Floreat in toto vatibus orbe decus.
Hi, quia Cyrrhæo muniti pectora motu
E Superis secum sedibus alta trahunt.
Hinc Diuûm laudes Heroû factaq; gaudent
Gnauiter Aoniis applicuisse modis.
Multaq; diuulgant morum præcepta: sub illis,
Crede mihi, Geniis anteferenda latent.
Consule magniloquum (si tanta cupido) Maronem;
Vatem Pelignum consule, certus eris.
Consule Mæoniden: it cuius Musâ per omnes
Artes: A scæum consule, quæso, senem.
Addo, quòd inuoluant figmentis ista :pericli
Quæ sunt plena, bonis & nocitura vitis:
Vt iucunda licet sint lectu: quilibet istis
Attamen expositis abstinuisse queat.
O Edipodionæ Sphyngis Paradoxa, Poetis
Ambigiosa licet cuncta, soluta vides.
Prodigiosa tuo Titanidos atria Circes
Nec non Medæ pectore volue dolos.
HÆC fuit Aesonidæ, Magicas fuit ILLA per artes
Dulichii sociis insidiosa Ducis.
En inter scopulos trahit irrequieta Charybdis
Fluctisonis naues Scillaq; sorbet aquis.
Sic de vitandis lectorem dia periclis
Carmina Pieridum præmonuisse solent.
Ipsa quidem series harum longissima rerum:
Sed non apta meis area longa rotis.
Me suauis tantum proles Acheloia cantu,
Materia numeris conueniente, iuuet.

Qualia



Qualia Sirenum sint nomina, quotq; sororum
Dicam, quo multos detineantq; modo.
His prior inuentis quid designauerit ætas,
Altera pars fiat carminis, opto, mei.
Nasonis manes & amabilis vmbra Tibulli
Vatem per vestrum ducite, quæso, nemus.
Qua mihi Terpsichore Sirenum mater in vmbri
Fonte Meduseo pectus, & ora riget.
Quod precor, intus agiti calido sub pectore motum
Sentio: felici Numine versus eat.
Vos duo Germani, felix concordia, fratres
Alta Borossiaci fama parata soli.
Vos duce sub Sophia, quorum voluentibus annis
Stent in Parnassi fixa trophæa iugis,
Vos, precor, imparibus faciles date versibus aures,
Nixa sit vt vestræ Musa fauore Domûs.
Vt videt ex Musis vnam Calidonijs amnis,
Hæc seu Calliope Melpomeneve fuit:
Dissimulare nequit, quis enim celaret, amorem:
Cum similes Veneri sentiat esse Deas.
Candidior niuib; frons lacteq; purior: hærent
Inter purpureas flammea labra genas.
Dum non ergo potest extinguere Cypridos ignes,
Ipsi cum Musâ concubuisse placet.
Hinc vbi Luna suos novies impleuerat orbes:
Monstrosa matris viscera prole tument.
Dissimiles Charitum formis tres inde sorores,
sed similes Furiis; mente venire liquet.
Pube tenus referunt homines, at membra volucres
Cætera, quæ plumis undiq; tecta latent,



Nomina scire cupis? variantur: Thelxiepian
Quidam Pisinoen Aglaopenq; vocant.
Ast alij, res mira, tuo coniungere Molpen,
Thelxinoenq; volunt, Aglaaphona, choro,
Inscribis, Veneri sacrate Clearche, Ligæan
Leucasiënq; tuis Parthenopenq; libris.
Dispare res eadem latitat sub nomine: sensus
Infrà verborum percipiendus erit.
Quamuis monstra: tamen Sirenum quælibet artem
Exercet validâ pro ratione suam.
Primam commendant discrimina gutturis: omnes
Eliciunt, variis flexibus usa, modos.
Tibia cum lituis & cornua rauca secundam:
Inflatis palmam præripit ipsa tubis.
Tertia crinitum cum Phæbo vincit Iopam:
Sive Lyram tangat pectine sine Chelin.
Quid moror? illa minus desunt, quæ scilicet omnes
Illecebris valeant implicuisse suis.
Hæc, vt fama refert, Siculi tria monstra Pelori
Novimus in cultis delituisse locis,
Vel non à Latii Capreis procul a quoris oris
Extruisse suas pernitiola domos.
Illic innocuis residet nocitura voluptas
Inter odoratas conspicienda rosas.
Illic lætitiæ fugitiua Venusq; morantur:
Vel quod deliciis mollius esse potest.
Illic cum Loto Lethæa papauera surgunt.
In patriam nautis non iter inde patet.
E speculis latè videt insula Sirenensis,
Cum naues Zephyro lintea plena ferunt.

Inde



Inde Chelys varijs concentibus aëra complet:
Datq; foraminibus tibia mille sonum.
Temperat innumera se vox dulcedine; fingit
Altior humano spiritus ore melos.
Inde fit arrectis nautæ stent auribus, huius
Harmonias patulis arripiantq; chori.
Littoribus proras aduertunt: anchora tutas
Reddit: nec ventis turgida vela volant.
Hoc in seseffu, viuone sedilia saxo
Egressis, gelidam fonsue ministrat aquam?
Decerpunt passim Lethæa papauera: Loton
Gustant; hinc patriæ non meminisse queunt.
Cæde nec auelli possunt; ibi Somnus oberrat:
Attamen haud ventis pandere vela volunt.
Arua peregrinis hostilitet ossibus albent:
Defendunt partes Mors Lachesisq; suas.
Quàm multos capiunt Sirenes: dulcis ab harum
Quando sonus lituis, ore lyraq; fluit.
Redduntur stupidi: Vesana cupido triumphat:
Nec, quòd cogantur sic periisse, vident.
Finge tibi montem Veneris, tibi finge recessus
Occultos, multis quà via lata patet.
Ingressi laudant Citharæ modulamina: laudant
Tam niueas Helenæ purpureasq; genas.
Hoc mens interea miseris infecta veneno,
Membraq; languescunt: cætera somnus habet.
Sic lyra sic litui Sirenum voxq; sefellit,
Quorum perpetuum debuit esse decus.
Imperat ipsa simul tantis Astutia monstris:
Ut tacito secum pectore quenq; notent;

Scilicet



Scilicet affectu quo nam Natura laboret,
Et quodcunq; libens audiat atq; velit;
Hoc quater ingeminant variis concentibus: ipsum
Captivum laqueis hisce tenere solent.
Effugiunt pauci, quos Iuppiter æquus alumnos
Lucida Pieriis tollit in astra viis,
Hi potuere viri, multis è millibus uni
Hoc Ithaco quondam contigit omne duci.
Hinc monitu Circes, fociis prius obstruit aures,
Non in eas dulcis quò sonus ille fluat.
Mox iubet ad malum sua membra ligare: faceffunt
Graii iussa sui vis animosa Ducis.
Omnia Sirenes promunt discrimina cantus.
Ob quod Cymothoë Leucothoëq; stupent.
Turgida prætereunt optatis carbasa ventis,
Concomitante graueste, Galatea, rates.
Antea Sardoo proles Acheloia risu
In mediis nautas excipiebat aquis,
Nunc Phlegethontæas oculis flammantibus iras
Ut prodit: Furiis sic minor esse nequit.
Instar cristati caput altaque colla Draconis
Tollit, & ore truci fanda nefanda vomit.
Sed captum (nec enim suadet fortuna regressum)
Sisyphæo natus sanguine carpit iter.
Bile tumescentem Sirenibus ilia ventrem
Dirumpant: Ithacum fert maris unda ducem.
O aliis etiam sapientia talis inesset:
Iniecisset eis non tuba voxq; moram.
Ne tamen æterna Sirenum fraude laborent,
Incautas illuc quas tulit aura, rates:

Auxilium



Auxilium nautis fert exoptantibus ætas
Monstrosi lituis exitiosa chori.
Orbe peragrato, Minyarum venit ad oras
Quæ de Phryxæo vellere fama volat.
Mox lecti iuuenes Argiæ robora gentis
Ablatum Colchis illud habere volunt.
Fundatura citas pinus quàm plurima naues,
Quæ sub Peliaco vertice cæsa, cadit.
Addunt antennas & vela sequentia malos:
A Equoreas tentat Pelias arbor aquas.
Nauta regit Tiphys puppim: fatus AEsone partes
Suscipit in tantâ nobilitate Ducis.
Ut nauem mediis in fluctibus Amphitrites
Sirenes Zephyro flante natate vident:
Mox inter sese iurant, ad Phasidos undas
Quod non illa queat præteriisse ratis.
Ut lyra sic litui miris concentibus implent
Aera, currentes voxq; moratur aquas.
Hærent ceu magico decepti murmure: quærit,
Trans mare quâ valeat pergere, Tiphys opem.
Amplius aurati nec Iasona velleris angit
Cura: Chelys, litui, tibia, voxq; placent.
Cautior est reliquis hoc dum Rhodopeius Orpheus
Sirenum fieri fraude doloq; videt:
Quâ potuit stygias penetrare fonante per umbras,
Is mariisq; lyrâ, saxa mouere iugis:
Hanc capit, AEmoniaq; sedens in puppe, Deorum
In laudem lyricas succinit ore modos.
Fautrix Phœgræo superis victoria campo,
Tela Gigantæo sanguine tincta refert:

B

Qua



Quæ Cete magnas quatiant immania naues,
Nil Argonautis, vatis amore, nocent.
Delphinesq; natant circum, Graiosq; tuentur:
Perplacet æquoreis dulce Deabus opus.
Applaudit scopulos inter resonabilis Echo,
Equibus ad celerem vox redit iæta ratem.
Sola dolet proles Achelooia, sola gemiscit:
Orphea quòd nequeat vincere sola dolet.
Inuidet, & rebus vatis marcescit opimis:
Vox fit rauca; mari pleetra tubæq; natant.
Non ita Cadmeæ lacerarunt Penthea matres,
Ut se Sirenas dilacerare iuuat.
Nec mora: præcipiti linqunt sublimia saltu
Saxa; sub aquoreas morte premuntur aquas.
Tantam Sirenum cernens Libitina ruina;
Talia mox Taxi cortice scripta legit:
Triplex nautarum iacet hîc sub Tethyosundis
Bestia: quam Nereî squamea monstra vorant.
Erue Mnemosynes gremio, precor, erue sensum:
Hoc quem figmento, Musa, latere putas.
Antiquos nec enim Sapientia summa Poetas
Deserit; hi fictis vera subesse volunt.
Contigit hæc proles Acheloo Naupactæo,
Melpomene sociâ Calliopêve tori.
Filius Oceanum quia iactat ILLE parentem:
Materat HAEC dulci, quod canit, arte canit.
Hinc non mireris, quòd quærat aquatica Siren
Ortum: Cypris aquis dum fauet, orta mari,
Dicere Pisinoe, quoniam suadere facultas
Te penes: Aglaopen pulcraq; forma notat.

Ve



Vel solo nitidos aspectu captat ocellos
Thelxiope: mentem Thelxinoeq; mouet.
Candida Leucosinam commendat & Aglaophonam
Frons, vox mellifluisq; Ligæa sono.
Virginis ora refert, cui Parthenopeia debent
Moenia, quod tantum nomen adepta gerant
Pulcra quidem facies, ob quam vel obiret Achilles:
Corporis inferior pars tamen instar auis.
Suggere Calliope meliorem suggere sensum;
Quid sint Sirenes non satis inde liquet.
Archippi quinto Suadela volumine multum
Sic mihi de varijs piscibus ipsa refert.
Est in secessu longo locus, inq; reductos
Frangitur atq; maris scinditur vnda finus.
Hic imo barathri faux sorbet gurgite fluctus,
Nec non absorptos rursus in alta vomit.
Hæc quasi concentu fallit callisio nautas,
Ut properent lassas applicuisse rates.
Hoc tamen est ipsis fraudi; quod sæua charybdis
Nescit in abruptum mergere, Scylla rapit.
Sunt quos delectat genus hic muliebre, quod olim
Thaide peius erat, Laide peius erat.
Hoc residens circum Neptuni littora, gratam
Fecit, qui forsitan præteriére, moram.
Huius sub Dio tendit Lasciuia casses,
Ausa pudicitiam prostituisse suam.
Indulget Scyathis, ut non (mihi crede) parentem
Memnonis in roseis Sobria cernat equis.
Artibus illa Magis, Sagarum pessima præstat;
In caput AÆæa voce reat, & raquas.



Si quis diuitiis cum Cræso certet, ab isto
Deduci poterit non tamen ille loco,
Parua loquor: faciat Fortuna volubilis Irum:
Non tamen ad patrios vult rediisse lares.
Labra genæq; placent, donec Mors occupat ipsum
Vicinum tumulum: labra genæq; placent,
Hæc quoq; non cunctis aridet opinio: multis
India Sirenum nomine iactat aues.
Quæ cum veliuolas cernunt super æquore naues:
Tunc cantare simul nocte dieq; solent.
Alliciunt vario miseris modulamine: quorum
Dilacerare suis vnguibus ora iuuat.
Nulla tamen somnos abrumpere cura, suuâ
Inductos cantu nulla pericla queunt:
Interea rostris altaq; voragine Ventris
Diripiunt volucres membra, fugantq; famem.
His quoq; reiectis, propius sententia Flacci
Attingit, reliquis anteferenda, Scopum.
Huic prodesidiâ proles Acheloia Vati,
Maxima tam multis damna ferente, venit.
Et pro dulcisono titubans Ignauia cantu,
Blandisonumq; notant otia blanda melos.
Hinc mea Sirenas Doctorum pace suaues
Musa voluptates illecebrasq; vocat.
Nempe voluptates, in se quas ista tuetur
Pars animæ, rectæ quæ rationis eget.
Hæ primâ nobis designant fronte puellam:
Posteriore tamen belua parte latet.
Quamuis Mens vetitis sceptri grauitate resistat:
Nec velit Imperii regna minora sui.

Hoc



Hoc tamen affectus spernunt, & Mentis habenas
Disrumpunt: cæci, qua datur ire, ruunt.
Indomiti, cum sit fluxis occasio rebus,
Mox freni curam liberioris agunt.
Omnibus haud velut est eadem natura: Voluptas
Dispar delitiis sic quoq; fulta suis.
Hæc iusto nobis licet ordine perscrutari:
Dum patet hîc rapidis area plana rotis.
Si quis avaritiæ stimulis vitioq; laborat,
Et non divitijs vult posuisse modum:
Corradit manibus Briareis omnia, diues
Hisce nec illecebris abstinuisse potest.
Cedat in exemplum Cræsus Cræsiq; potentes,
Quas sibi quæstas iactat avarus, opes.
Inter Romanos Crasso quis ditior agris:
Nec tamen in promptu, quo satietur, habet.
Hic petit Assyrias Carrhas Mauortis in armis:
Diuitias spolijs tam cumulare studet.
Sic leuis ambitio, perfusaq; gloria fuco
Quem cupit, hunc adeo tanta cupido trahit:
Ut non absistat: cane classica, linquet in ausum
Ille (licet fuerit mors obeunda) nihil,
An non vel Cræsum spolijs Orientis onustum
Regia Persarum scepra tenere pudet:
Si non ipsius geminanda potentia: Si non
Latior illius terra premenda iugo.
Pellæus juvenis penetrat per Bactra per Indos:
Maius ad Euphraten mox meditatur opus,
Scilicet ad Gades vel ad Herculis usq; columnas
Fortior Heroi tendere cura subit:

B 3

Altius



Altiùs ire libet: non sufficit vnicus orbis
Terrarum: plures vincere tantus amor,
Iulius Aufonijs conatur Cæsar in oris
Solius imperio subdere cuncta suo.
Agnoscit Dominum Nilus tellusq; Canopi,
Corniger hunc Ammon, hunc Cleopatra colit,
Affectus adeo latè dominantur, in vno
Illecebræ tantæ deliciæq; viro.
Est simul Ebrietas Sirenibus æmula: luxum
His etiam monstris apposuisse libet.
Quàm Latius præstabat in his Antonius ausis?
Qualem præ reliquis se Cleopatra dedit?
Tiberij lautas onerant spumantia mensas
Pocula per geminos euacuanda dies.
Hinc cum Pomponio Piso simul amphora Bacchi
Auffert militiæ præmia larga suæ.
Paucas impendit tomno quoq; Claudius horas:
Cætera continuò tempora potus habet.
Est adeo multis luxum coluisse voluptas,
Dum tua iam verti plaustra Boôte vides,
Inde Venus Bacchusq; nihil sanabile suadent
Inter amatores ignis in igne furit.
Ingeminanda trahi crebro suspiria motu
Quis dubitet? cæptis Cypris Amorq; fauent.
Is, Venus auratum retulit quo Iudice pomum
Testis erit: Ledaë filia testis erit.
Huc Anch. siaden refer huc Didona Cupido,
Nam fuit in castris fortis vterq; tuis.
ILLE Iouis iussu placidis sua lintea ventis
Pandit: at HANC gladio mors violenta rapit.

Quod



Quod probat exemplis Magnatum Musa, per omnes
Humani generis cernimus ire gradus.
Nec mea prætereat crudeles Suada Tyrannos,
Innocuo quorum sanguine dextra madet,
Nec minus istorum stimulat sua quenq; voluptas,
Et sua per vetitum quenq; libido trahit,
Erigit ipsorum violenta superbia cristas,
Ad Phlegethonteos progenerata lacus,
Terrarum fatale malum, fatale flagellum
His Tamerlanes annumerandus erat,
Huc, acri nimium quia cæde madebat, Othonis
Cum matricida facta Nerone refer,
Nec sua destituit Siren nasuta sophistas:
Frons speciem vulpis, membra leonis habent,
Quamuis indocti, docti tamen usq; videri,
Ac inter primos summa tenere volunt.
Hunc naso fucum suspensio Momus honestat,
Pro veris auidè falsa capitq; Midas.
Quid mororè ante diem clauso componat Olympo
Hesperus in fuscis strenuus ire rotis:
Omnes quàm referam Sirenum (flebile dictu)
Quos tuba quos litui vox & acuta trahit,
Ut potu Circe rigidas mutavit in Vrsas
Per mare quos Ithaci vela tulère ducis,
Sic video cæcis pressos affectibus istos:
Mersa voluptatum gurgite turba latet,
Exprime, Calliope, feliciter exprime sensum,
Quem sub Sirenum suspicor esse locis
Hæc licet Alcinoi longè pomaria regis
Vincant ac hortos Sicelis Enna tuos:

Mille



Mille cadaueribus cumulata cadavera mille
Esse tamen, cum sint ossibus alba, volunt.
Fallor: an ista placet sic appellare Poetis
Quæ loca deliciis illecebrisq; vacant?
Non fallor: nec enim Charis & Cytheræis amenas
Incultis properant postposuisse plagas.
Desidiosus Amor magis & mellita voluptas
In gremio Cypridos delituisse solent.
Mollis vbi Requies Zephyro contenta colono
Vmbrosum celsâ spectat ab arce nemus.
Auratis illum muniuit sepibus hortum
Ipse Cupidinæ Lemnius artis opus.
Manibus hisce genas ac oscula mille (Venustas
Ut perhibet) veneris promeruisse valet.
Area non vllis candentibus illa pruinis
Obuia, Rhiphæâ stat viduataniue.
Hic vel in æternum patet indulgentia Veris,
Atque Voluptati Luxuriæq; fauet.
Viuunt in Venerem flores: viridesq; vicissim
Alterius ramos quælibet arbor amat.
Hic nutare vides ad fœdera mutua palmas:
Hic platanos plataniis assibilare iuuat.
Labuntur gemini fontes: HIC dulcis: at ILLVM
Iesectum viru multus amaror habet.
Mille Pharetrati fratres, gens mollis Amorum,
Ore pares, duplici spicula fonte lauant.
Hæc plebem feriunt: Magnatum pectora lædunt
Quæ, furtiue puer, tela Cupido jadis.
Hic nullo residet constricta Licentia nodo.
Grandia Nectareo pocula rore madent.

Pallor



Pallor amatorum, leuibus periuria pennis
Huc illuc Zephyro disijcienda volant,
Arx jacet in medio, grauiibus suffulta Smaragdīs,
Peryllo paries: cætera læspis habet,
Hic Venus Idalias interlasciua Sorores,
A pplausu charitum læa precante, sedet.
Hæc loca, crede, simul Sirenibus apta: dolosas
Hic video laqueos disposuisse suos,
Talis, ut exemplis res illustrata legatur
Olim cum Sodomis ista Gomorrha fuit,
Omne voluptatum per quam genus ibat: in omni
Spargebatq; loco fæda libido faces:
Donec Sulphureâ mixtus pice decidit imber,
Fumosusq; vorat, qui meruere, lacus.
Talia felicis perhibentur mænia Nini,
Assyrij quondam fama caputq; soli,
Vt probat hoc Vates, cete quem ventre tenebat,
Dum ter ab Eoo sol tulit axe diem,
Nec minùs in Cererem, Bacchum, Veneremq; rucbat,
Incola Persææ qui Babylonis erat,
Testor, ad Euphraten quia gens captiua; nepotes
Isacidæ, ciues Vrbs Solymæa tuos:
Alta Semiramidos quàm magno mænia fastu
Dedita delicijs luxuriæq; forent.
Aurato fuerat circumdata purpura limbo,
Vrbis quæ vestis tunc meretricis erat.
A Emula Beryllo flammis imitata pytopum,
Assyrio cingit more corona caput.
Grandior auriculas lassat Carbunculus ambas,
Vnio vix talis sit Cleopatra tuus.

C

Qualem



Qualem Reginae gemmata monilia iactant:
Auratos auro fert tunicata pedes.
Stat Sonipes & frena ferox spumantia mandit,
In tergo cuius picta tapeta nitent.
Tam pompa sedens his Heroïna feratur:
Omnia præ sonitu quadrupedante tremant.
Tibia cum Citharis gratanti dulcia plausu
Tympana, qua meretrix hæc recreanda, tenent,
Euacuat multo Charechesia pocula potu:
Et sua fragranti proluit ora mero.
Terrarum Dominos, manibus post terra reuinctis,
Captiuos secum bestia dira trahit.
Hæc voluptates Romana potentia, postquam
Roma triumphati fit caput orbis, amat.
Pronior in Venerem fit luxuriosa: Tyrannis
Sirenium patulâ percipit aure melos.
Omne genus vitis crescit: sua cuiq; Voluptas:
Quæ prius Ausonijs non ita grata viris.
Antè vel Herculeis cladem minitata columnis
Estne, vel Eois Ausonis ora plagis?
In sua mox duce te proles Acheloïa sæuit
Viscera: stat nutu fessa caditq; tuo.
Olim Geryonis tellus quæ subdita scepro
His sese properat consociasse malis.
Stupra rapina placent: audacia summa voluptas,
Quos nimis ex raptu viuere cura trahit.
Ista Pyrenæos transcendit bestia montes,
Liligeriq; ferox oppida regis adit.
Hucne capistratis vehitur Melusina columbis?
Hucne tuæ volitant, Dux Amathise, faces?

Cum



Cum Niquic simul hinc Sirenas ad usq; Britannos
Transfert (est illic faux maris arcta) ratis.
O ibi mansissent, & littora Balthica nunquam
Vidissent: felix Teutonis ora fores.
Hostiles acri quondam Mauorte cohortes
In campo gladijs procubuere tuis.
Nunc tua nodosam cheiragram dextera sentit:
Et pes multa tuus signa dolentis habet.
Hic morbus morbi Cancris de more per vrbes
Serpens Mysenas venit ad usq; plagas.
Hæc te nata patrem vocat ægra, Lyæ, Lyæi
Teq; soror matrem, teq; Citheris habet.
Posse voluptatum stimulos remouere, laboris
Herculis & Lybyci regis Atlantis erit.
Erras, maius opus, quàm quod præstare valebunt,
Quæ facit è pennis Pauo flabella suis.
Vtere vulnifico pro viribus usq; flagello:
Monstra voluptatum nec demuisse potes.
Ne mirere tamen cur ossibus alba ferantur:
In quibus est Siren inuenienda locis.
Scilicet est prima dulcissima fronte Voluptas
Tela tamen video Mortis acuta sequi.
Imberbes Iuuenes affectibus indulgendum
Censent, quos facti pænituiffe solet.
Per loca sæpe iuuat submotis ire Magistris
In Labyrinthæas secta resecta vias.
In quibus Ebrietas & cæca Licentia ferri,
Quos captat laqueis infidiosa, trahit.
Illic dum mentes acuit discordia: dantur
Per fora per plateas vulnera perq; domos.

C 2

Nec



Nec satis:immodico geminantur pocula luxu,
Donec in Oceanum sidera mane cadunt.
Subsequitur morbus, morbum Lachesisq; Senectam
Si tamen attingunt, plena doloris erit.
An non alba satis patet ossibus area? plures
An vis Sirenum voce sonante capi?
Scilicet hæ victæ Getici modulamine vatis
Desuper in mare septæcipitanter agunt.
Iste Voluptates premat exitus: altior Orphei
Sirenum Lyricis spiritus esto modis.
Suggere calliope genuinum suggere sensum,
Qui mirâ Getici Vatis in arte latet.
Diua refert sub se tales O Eagrius Orpheus
Tentat Apellæo pingere more viuos:
Ardua sub quorum sapientia pectore sedem,
Et propriam Virtus gaudet habere domum.
Quorum viua regit linguas Facundia, quorum
Affectus recta sub ratione latent.
Hi possunt quæ sunt fugienda docere: Iuuentus
Ex his, quæ contra sunt faciendâ, capit.
Talis vbi Senior, Suadâ moderante loquelam,
Verba Pericleo tinctâ lepore facit.
Mussitat, & Siren arrectis auribus astat.
Nec proprii incessat deposuisse Chelyn.
Tales, dum Sophiæ steterat res integra, quondam
Quidam Sacriticâ prosilire scholâ.
Testor Aristorelis venam geniumq; Platonis
Per Sophiâ cultos testor vtrumq; libros,
Prætereo reliquos, quos sæcula prisca tulerunt,
Hac ipsa positos in statione Viros.

Si



Si spectas Themidos spaciosa volumina:tales,
Hoc qui diuulgant tempore iura, vides.
Iura, Voluptatum quæ firma repagula:prolem
Et regnare tuam non, Acheloe, sinunt,
Si spectas Sophiæ Doctores:ire per artes
Septenas linguas & docuisse valent,
His vox Sirenum cedit:perpende Poetas,
In terras superâ quod venit arce genus.
Inde Iuuentuti præcepta salubria scribunt:
Quorum solerti norma sequenda pede.
Ut locus illecebris haud sit:iuuenilis & ætas
Quæ sint Sirenum retia nosse queat.
Felices, placidè quibus hos audire Magistros
Contigit, & facili pectore dogma sequi.
Sint licet haud omnes:quosdam tamen esse fatemur,
Fas quibus est tutas has iniisse vias.
Hoc satis Alcides probat vnicus omne, Iuuentus
Cuius cauta sibi consuluisse cupit.
E puero nondum factus perhibetur Ephebus
Cum certum vitæ carpere tentat iter.
Quæ dextram versus ducit via, strata salebris
Nec plantis, adeo vepribus hirta, fauet:
Sed quam læua notat manus, hæc est mollior, albis
Hæc & purpureis vndiq; grata rosis.
Ambigit, ille viam quam præferat, hæsitat inter
Pes vtramq; minus, quæ meliora, patent.
Interea videt ipse duas venisse puellas:
Altera pomposo conspicienda gradu.
Esse voluptatem facies hanc illita fudo
Arguit: hinc tales fundit ab ore sonos:



Parce puer tibi, parce: nefas te ferre labores:
Tu potius mollem tendere perge viam:
Hâc est per virides tibi me præcunte sequendum
Hortos, quos mecum Cypris Amorq; colunt.
Hic decerpo rosas, nitidam tibi necto corollam;
Vtere delicijs, utere, quæso, meis.
En sim qualis in hoc habitu: non Caurus adussit,
Me textit Myrti de super vmbra Deam.
Plura locuturam non sustinet altera, nomen
Cui Virtus, oculis virgo pudica suis.
Laurea ferta comas cingunt: sine diuite cultu
Ad niveos vestis defluit usq; pedes.
Nec cunctata diu, puer hac puer, inquit, eundum:
Huc, modò perpetuò concelebrêre, veni.
Ve pribus & spinis ita non terrêre: sub istis
Contritis, tandem quæ rosa suaui, hiat.
Prima voluptatis sunt mollia, dura sequuntur,
Quæ postrema: vide, ne capiâre dolis.
Aspera virtutis sunt prima, sed inde virescunt
Mollia: Virtuti viuere, beatus eris.
Alcides paret monitis: Acheloia proles
Ipsi propterea nil nocuisse potest.
Præterit illius nauis tutissima, portum
Optatumq; Noto cæpta iuuante, tenet.

Hæc de Sirenum cantu cantusq; recepto
Sensu Pierijs sint ita dicta modis.
Consulite boni, sint qualiacunq; futuro
Enucliata magis tempore plura dabo.

F I N I S.



Za 5840 AK

MC



QK 291

v. Cre

I V V E N I B
GENERIS

D O R E N O B I L I S

G E N I I , D O C T R I N A

tutis laude, linguarumq;

Dn, V Volfgango &

Fratribus,

M A G N I F I C I

R O S I E T S T R E N U I

debrandi à GEVTZEN, vt sap

suadelaq; habitu, ita & Togæ Mar

tissimi, ideoq; apud serenissimum

Poloniæ & Sueciæ REGEM sum

atque Consiliarii Borossia Prouin

Dn. in Teutschenslaw & Hact

optissimis & pro tempore

Lipsiensi, Musis strenu

nauantibus.

MYΔΟΛΟΓΙ
DE SIRENVVM

dedicat


M. Iohannes B

P. Coronatu

L I P S I

Typis hæredum B E

Anno M. DC.



6938

